DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICO - PRACTICA

SISTENS

ANGINAE PAROTIDAEAE DESCRIPTIONEM PATHOLOGICO - THERAPEVTICAM.

QVAM
CONSENSV ET AVCTORITATE
ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS
PRO
ADIPISCENDIS
SVMMIS IN MEDICINA HONORIBVS
DIE XXII IVNII MDCCXCVI
EXHIBVIT

AVCTOR
HENRICVS GVILIELMVS BRENNEKE
MAGDEBVRGENSIS.

Παντα δοκιμάζετε, το καλον κατέχετε.

HELMSTADII
EX OFFICINA C. G. FLECKEISEN, ACAD. TYPOGR.

Prooemivm.

Neque vanam gloriae cupiditatem, nec opinionem, me in ſcriptiuncula, quae nunc in manibus vobis eſt, L. B., notiones nouas, et plane inauditas in medium proferre, anſam et occaſionem mihi praebuiſſe, commentationem hancce conſcribendi, nulla fere admonitione egere videtur; iam enim libelli titulus indicat, me ſolummodo ritui academico, atque adeo neceſſitatis legibus parere, quae

ab iis, qui ſummos in arte ſalutari honores ambire conantur, ſpeciminis cuiusdam, e re medica deſumti, elaborationem, tamquam publicum induſtriae teſtimonium, omni iure exigunt. — Sagaciorum indagini reſeruatum maneat, vt ex eo, quod natura iis dedit, ingenii acumine, ad altiorem perfectionis, ac maturitatis gradum, nouis notionibus, aut nouis inuentis, ſcientiam medicam adducant. a) Sufficiat autem mihi tironi, (qui,

a) Diſciplinam noſtram ſemper adhuc multa deſideranda relinquere, neminem inficias iturum ſperamus, qui ingentem illam hypotheſium, plerumque futilium, copiam, (de quarum pretio rite conſtituendo, et diiudicando egregium videas monitum cl. *Girtanneri* in: *Abhandlung über die veneriſche Krankheit*, vol. I. Gotting. 1788. pag. 333.), quae inde ab initio artis medicae

(qui, ſe praecipua tantum medicinae rudimenta qualitercunque mente complexum

cae tam ſaepe commutabantur, quin immo, adeo in explicanda phenomenorum vſitatiſſimorum natura, ad hunc vsque diem inuicem ſeſe excipiunt, atque medicinam deformant, ſecum reputare velit. — Pro dolor ſcriptores iſti, qui illas hypotheſes, et theorias magis magisque, quaſi re bene geſta, accumulare ſtudebant, aureae illius *Boerhaavianae* ſententiae: „*ſimplex ſigillum veri*" plane immemores fuiſſe videbantur, et quae L. A. *Seneca* in epiſtola 64. ait: „Multum egerunt, qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt; multum adhuc reſtat operis, multumque reſtabit, nec vlli nato poſt mille ſaecula praecludetur occaſio, aliquid adhuc adiiciendi," maximo igitur iure ad ſcientiam medicam applicari poteſt. — Libenter ceterum profitemur, hodiernum artis medicae ſtatum non minimam iam conſecutum fuiſſe perfectionem; cui ſententiae inter multos alios adſentiuntur *Gaubius* in

plexum esse, admodum gaudet), vt momenta grauissima, quae de eo morbo, quem in sequentibus prolixiore sermione explicabo, apud varios auctores exhibita leguntur, pro virium modulo, et tenuitate, ea qua decet diligentia colligam, atque vna cum modesto, et suspenso iudicio lectori communicem.

In tanta autem, et fere immensa morborum serie, qui miseros mortales

in institutionibus pathologiae medicinalis, Norimberg. 1787. §. 21-26; nec non ill. *Blumenbach*, praeceptor pie colendus, in introductione in historiam medicinae litterariam, Gottingae 1786. §. 455; item cl. *Kramp* in libro praestantissimo: *Kritik der praktischen Arzneykunde etc. Leipz. 1795.* tam in praefatione, quam in ipsius operis cap. I, III, X, XI et XIII.

les b) excruciant, procul dubio ii, qui inflammationem faucium, et partium adiacentium ſpectant, ob varias cauſſas non infimum locum obtinent, ita vt inprimis medici recentioris aeui attentionem ſuam, ac examen accuratius iis dicarint. Itaque, morborum agmina mente perluſtrans, tandem, hocce themate, illoque reiecto, *anginae cuiusdam ſpeciei* deſcriptionem in pa-

b) Valetudinem aduerſam plerique tamquam *malum* conſiderant. Quod vero verbum rei ipſi minime reſpondere videtur; numquam enim valetudinis ſecundae magnum pretium homines intelligerent, niſi morbi tam arcte, et inſeparabiliter cum natura humana coniuncti eſſent. Praeterea dolores, aut ſenſus iniucundi pleroſque morbos tam conſtantes comites ſequuntur, vt illi efficaciſſimi ſtimuli eſſe videantur, quorum ope omnes aegroti ad ſanitatem recuperandam incitantur.

ginis ſequentibus exhibendi, eo lubentius mecum decreui, cum accuratiorem huius morbi adumbrationem ill. *Richter*, Profeſſor apud Gottingenſes celeberrimus, in praelectionibus ſuis practicis auditoribus magnopere commendauerit.

Quae cum ita ſint, accipiatis, L. B., hasce primitias academicas, quas vobis iam iam offero, aequa ac ſerena fronte, attentione veſtra dignemini, et quae falſa, quae vaga, aut mutila in hoc iuuenili periculo dicta eſſe videantur, pro veſtra humanitate mihi condonetis. — Erit autem, de quo ſummopere laetabor, ſi non omni iudicum idoneorum ſuffragio careat iſte labor.

Et haec hactenus quidem. Nunc vero ad rem ipſam accedamus.

---

§. I.

§. I.

Argumenti grauitas.

Inter tot et tam varias faucium affectiones praeternaturales, quae communi nomine *anginarum* insigniri solent, et quae non raro, vbicumque caput efferunt, magna strage saeuiunt, nisi primum, c) saltem secundum

c) *Maximam* enim omnium anginarum grauitatem anginae membranaceae et vlcerosae non sine caussa plerique auctores attribuunt. — Explicari inde potest tanta de hac thesi commentationum copia, quibus inter *Anglos* Home, Cullen, Macbride, Monro, Grant, Johnstone, Withers, Gooch, Hamilton, et Fothergill; inter *Suecos* Rosenstein, et nonnulli scriptorum in Swenska Vetenskaps academiens Handlingar; inter medicos *Danicos* praecipue Bang, Callisen et Eichel; inter *Franco-gallos* Chomel et Marteau; et inter *Germanos*

dum locum ob indolem ſuam, naturamque tam ſingularem, et memorabilem anginae *parotidaeae* adiudicandum eſſe, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe putamus. De huius propoſitionis veritate lectorem vnumquemque conuincere ſperamus, ſimulac ad decurſus, et medelae morbi noſtri deſcriptionem peruenerimus.

§. II.

Definitio Anginae parotidaeae.

Angina autem parotidaea ſecundum obſeruatorum fere omnium theoriam, et ſcriptorum ſyſtematicorum definitionem nil aliud eſt, niſi Cynanche, (ſiue inflammatio faucium, cum

manos denique viri cl. Lentin, Michaëlis, Thilenius, Hirſchel et Dangers diſciplinam medicam ditare ſtuduerunt.

cum febri continua, et respirandi, deglutiendique difficultate) cum magno tumore externo parotidum, et glandularum submaxillarium; ita tamen, vt febris plerumque lenis, ac respiratio, et deglutitio parum laesae sint. d) — Apparet inde, anginam parotidaeam omni iure nomen *Anginae* sibi vindicare. e)

§. III.

d) Est haec definitio Boissier de *Sauvages*; confer. *Cullenii* synopsis nosologiae methodicae, Amstelod. 1775. pag. 167.

e) Nonnullae enim aliae anginae *sic dictae* minime *verae* sunt anginae, v. c. angina *pectoris* Anglorum, quae proprie asthma, et quidem plerumque asthma arthriticum significat, quod inprimis cl. *Elsner* egregie exposuit in opusculo illo praeclaro: *Abhandlung über die Brustbräune*, Regiomont. 1778. conf. *Allgemeine deutsche Bibliothek*, *volumen XXXVIII.* pag. 124. nec non

Com-

§. III.

Synonyma anginae parotidaeae.

Vtique operae pretium eſſe videtur, adlegare hic varia nomina, quibus ad exprimendam notionem anginae parotidaeae varii apud varios populos auctores vtuntur. Galli nempe eam appellant *oreillons*, etiam *ourles*; f) Angli *the Mumps*, Scoti *the Branks*, et in nonnullis denique Germaniae regionibus

Commentarios Lipſienſes de rebus in ſcientia naturali et medicina geſtis, volumen XXIII. pag. 3o3. ſq. — Pertinet huc etiam angina *bronchialis*, quam rectius cum *Stollio* (vide *eiusdem* rationem medendi, etc. pluribus locis) pleuritidem humidam nominaremus, et ſic porro.

f) Vide *Tiſſot* Avis au peuple ſur ſa ſanté, Tom. I. Lauſanne 1775. §. 116. *Encyclopédie françoiſe*, ſub verbis oreillons, et ourles. (Paucos allegaſſe ſufficiat.)

bus nomine *Bauerwetzel* nuncupatur. g)

§. IV.

g) Secundum annotationem in translatione germanica libri illius Culleniani, qui inſcribitur *Anfangsgründe der praktiſchen Arzneykunſt*, vol. I. pag. 380. — Veriſimiliter nomen illud tantum in lingua *Saxonica* receptum, et vſitatum erit, vocabula enim germanica, quae rem medicam attinent, quamquam eamdem rem exprimant, ſaepe tamen toto, vt aiunt, coelo differre, neminem fugiet, qui ſolummodo nomina illa germanica diuerſiſſima, quae deſignandis medicamentis inſeruiunt, memoria repetere velit. — Genio noſtrae linguae nomen *Drüſenhalsweh* fortaſſis maxime accommodatum videri poſſit; conferatur cl. *Erasm. Darwin Zoonomie, oder Geſetze des organiſchen Lebens. Mit Anmerkungen aus dem Engliſchen überſetzt von Joach. Diet. Brandis, vol. I. pars 2. Hannover 1795. pag. 249.*

§. IV.

Aetas anginae parotidaeae.

Nouerintne *Hippocrates*, et *Galenus*, nouerintne *Asclepiades*, et *Paulus Aegineta* morbum, an non? Viderintne *Aretaeus*, atque *Aetius* anginam parotidaeam, an ſimile tantum huic affectioni *ſymptoma?* Noſtrum non eſt, lites, hac de re inſtitutas, componere; potius problemata illa aliorum diiudicationi praeripere nolimus, et quidem eo magis, quum ad medicinam *practicam* nullius ſint momenti. Attamen in transcurſu attingamus, morbum noſtrum minime ad recentes pertinere, (quam opinionem nonnulli auctores fouerunt); ſed apud veteres iam obſeruatum fuiſſe. *Hippocrates* enim, etſi ſub verbo generali παρασυναγχε multos faucium affectus comprehendit, tamen

men ſimul ſic accurate anginam parotidaeam delineauit, vt nemo dubitare poſſit, quin huic, artis medicae auctori, iam nota fuiſſet.[h])

§. V.

Notitia ſcriptorum de angina parotidaea.

Priusquam autem ad morbi noſtri deſcriptionem ipſam transgrediar, non poſſum, quin ſelectum librorum numerum,[i]) in quibus de angina parotidaea diſperſa

h) Vid. *Hippocrates Werke, aus dem Griechiſchen überſetzt, von I. F. C. Grimm, Vol. I. Altenburg 1781. pag. 2. ſeqq.*

i) Non ſine cauſſa *ſelectum* dico *numerum*, eos enim lectorum, qui totam, etſi magnam partem ſterilem, librorum, huc pertinentium, farraginem cognoſcere cupiunt ad aureum illud opus

cl.

difperfa quaedam leguntur, cum lectoribus communicem. Pertinent huc cl. *Selle* medicina clinica, editio nouiffima, quae prodiit Berol. 1793. p. 81-82. *Culleni Anfangsgründe der practifchen Arzneykunft*, Lipf. 1789. Vol. I. pag. 380-382. *Tiffot* Avis au peuple, etc. tom. I. pag. 138. *Chrift. Theophil. Ludwig* Aduerfaria medico-practica, Vol. III. Lipf. 1774. pag. 543 feqq. Journal de Medecine, Chirurgie et Pharmacie, par *Vandermonde* et *Roux*, annus 1757. pag. 379. Boiffier de *Sauvages* Nofologia methodica, Tom. II. Geneu. 1768. pag. 35. *I. Burferii* de Kanilfeld Inftitutiones medicinae practicae,

cl. *Ploucquet* remitto, cui infcriptio: Initia bibliothecae medico-practicae, et chirurgicae realis, Tom. I. Tubingae 1793. pag. 167-192.

cticae, Mediolan. 1785. Vol. III. pars 2. pag. 207.

Attentione cuiusuis medici practici maximam partem ſane digniſſimae videntur obſeruationes de anginis parotidaeis, epidemice graſſatis; quae haecce ſcripta ornant: Hiſtoire et memoires de l'academie de Toulouſe, tom. I.; *Benj. Gooch* Caſes and practical remarks in ſurgery etc. London 1758; cl. *Hamilton* in Lond. medical Journal, vol. XI; ill. *Richteri chirurgiſche Bibliothek*, pluribus locis; et denique *Sammlung auserleſener Abhandlungeu zum Gebrauche praktiſcher Aerzte*, vol. XIV. pag. 511 ſq.

§. VI.

Decurſus morbi generatim conſideratus.

Non vero ſemper angina parotidaea curſum ſuum vno eodemque mo-

do apud omnes aegrotos conficit, atque abſoluit. Sunt, quos de inſtante periculo, dubiis quidem, praenuntiis generoſe praemonet inimicus: ſunt, quibus perfide inopinatas parat inſidias. Sunt, quos armis facile propellendis laceſſit: ſunt, quos, vinci neſcios, debellat. Sunt denique, quos primo congreſſu propria necat manu: ſunt, quos per longam malorum ſeriem vana cum ſpe deductos ſera atque aliena mulctat morte. — Longum foret, conſilioque minime congruum, omnes hic iſtos varios recenſere modos, quibus non ſolum pro vario variarum epidemiarum genio, ſed in eadem etiam epidemia, pro eorum, quos afficit, aetatis, ſexus, corporis conſtitutionis, temperamenti, idioſyncraſiae, etc. varietate, ludit morbus, faciem-

faciemque externam commutat: petant, quorum intereſt, ex numeroſis ſane, qui de morbo noſtro fuſius egerunt obſeruatoribus, ſupra iam laudatis. Mihi, qui in eo adumbrando ea tantum reſpicere conſtitui, vnde eius aetiologia, atque inprimis indicationes curatiuae illuceſcere poſſunt, neminem vitio verſurum eſſe pro certo habeo, ſi ſymptomata aduentitia, ac leues, easque innumeras varietates, a meo propoſito alienas, omiſſas reperierit. k)

§. VII.

Febris, quae ipſum anginoſum affectum anteire, aut ſaltem cum eo, rariſſime poſt eum contingere ſolet, varia

k) Vide inprimis *Burſerium*, his de rebus loco citato copioſius differentem.

ria intenſione inſtat. Nonnumquam enim ita leuis incedit, vt, omnibus aliis febris ſymptomatibus, atque ſignis fere abſentibus, [1] nihil aliud, niſi pulſum, praeter modum naturalem irritatum, animaduertas. In aliis contra caſibus verſus noctem vehementer exacerbatur, ſub tempus matutinum breui et inquieto ſomno, vel alleuante leni diaphoreſi paullulum remittit: cutis calet: pulſus vel rarus, vel frequens et celer, vel durus, vel mollis, ſemper debilis, et tremulus eſt: vrgent animi mira, et inconſueta abiectio, maior, minorue debilitas, viriumque vitalium proſtratio, angor et inquies: ſenſus formicationis, qui praecipue totam medullae ſpinalis regionem

1) Conferas Cl. *Kupferi* diff. de notione, et diagnoſi febris acutae, Gotting. 1785. paſſim.

nem occupat, aegroto moleſtiam exhibet: dolet caput et dorſum; dolent crura: facies tumet: rubent et lacrymant oculi: opprimuntur pectus et praecordia, vnde reſpiratio difficilis, ſaepe ſuſpirioſa: lingua humida, in apice plerumque pura, verſus radicem autem flaui, vel caſtanei coloris ſordibus foeda eſt: appetitus plane abeſt, vrget nauſea, plerumque et vomitus, aut, quod in infantibus non raro obſeruatur, diarrhoea: lotium tenue, pallidum et crudum: ſaepius iam in initio morbi, inprimis veſperi, aut per noctem deliria, nunc blanda, nunc ferocia, animaduertuntur.

§. VIII.

Decurſus morbi, ſpeciatim expoſitus.

Sicuti vero febris, iam nunc adumbrata, non ſemper eundem prae ſe

fert

fert vehementiae gradum, ſic etiam eius *duratio* valde varia et multiplex reperitur. Attamen aegroti, qui regimine diaetetico, morbi indoli congruo, diligentiſſime vtuntur, atque adeo, vt perſpiratio cutanea ſemper leniter libera conſeruetur, curant, non raro iam primo, ſecundo, aut tertio demum die a febre plane relinquuntur.

§. IX.

Tunc autem externi oriuntur in regione ſaucium et partium adiacentium, praecipue parotidum, tumores glandulares: primo quidem mobiles, atque exiguis terminis circumdati vno, alteroue maxillae inferioris latere raro ſupercurrunt, donec paullatim [m])

non

m) Et quidem plerumque, teſte *Cullenio*, (l. c.) intra quatuor dierum ſpatium.

non tantum magis magisque indurescant, verum etiam ita crescant, vt totum fere collum occupent ac deforment. — Tumores illi, quamdiu in corporis superficie sustinentur, febrem finiunt, vel saltem leuant, neque functionum oeconomiae animalis integritatem vllo modo turbant. Itaque, dummodo deformitatem, quam tumores in parte corporis, omnibus visibili, efficiunt, excipias, aegroti ab omni parte sani esse viderentur, n) nisi obseruato-

res

n) Saltem ex definitione illa, quam, vt de aliis taceam, *Gaubius* in institt. patholog. medicinalis, §. 34. nec non cl. *Hufeland*, in libro egregio: *Ideen über Pathogenie und den Einfluſs der Lebenskraft auf Entstehung und Form der Krankheiten, Jen. 1795.* initio, *de notione morbi* constituerunt. (Cf. *Salzburgische medicinisch-chirurgische Zeitung*, ann. 1795. Vol. III. p. 455-459.)

res nonnulli caſus quosdam memorabiles enarraſſent, o) e quibus luculentiſſime apparet, tumores colli glandulares tam eximiam nonnumquam magnitudinem conſequi poſſe, vt vel minimos maxillarum motus dolorificos, atque adeo alimentorum manducationem et deglutitionem perquam difficiles reddant, et quidem eo magis, cum principia phyſiologica ſatis ſuperque demonſtrent, ad functionem maſtica-

tionis

459.) Ceterum ſcriptores medicos, ad vnum fere omnes, de eo quid ſit morbus, in multifarias, ne dicam diuerſiſſimas abire ſententias, non eſt, quod moneam. Videſis *Chriſt. Theophil. Ludwig*, reſp. et def. *Ridder*, diſſert. de morbi notione, Lipſ. 1767.

o) vid. Hiſtoire et Memoires de l'acad. des ſciences de Toulouſe, tom. I et II. à Toulouſe 1782-84; ill. *Richteri chirurgiſche Bibliothek*, vol. XII. pag. 184; item *Tiſſot* l. c.

tionis et deglutitionis, (quarum mecha-
nismus tam compoſitus, atque intri-
catus eſt, vt eius explicatio, ſecundum
Halleri, viri immortalis, admonitionem
ad difficillimas phyſiologiae particulas
pertineat,) rite perficiendam admi-
rando et reuera ſtupendo virium ap-
paratu opus eſſe. p) — Interea mini-
me in dubium vocari poteſt, quin do-
lor ille, cum glandularum tumoribus
nonnumquam coniunctus, *plerumque*
tantum pruriens, vel vrens, vix vero,
ac ne vix quidem pungens, et pulſans;
aut eiusmodi ſit, vt tumores inflam-
mati

p) Conf. *Alberti de Haller* primae lineae phyſiologiae, ex editione Ill. *Wrisbergii*, praeceptoris vener., Gotting. 1780, §. 597 ſq. Pr. *Bernard. Albini* Tractatus de deglutitione, Lugd. Batauor. 1740. paſſim. Ill. *Blumenbachii* Inſtitutiones phyſiologicae, Gotting. 1787. §. 344 et 351.

mati in abſceſſum ſuppurantem transeant. q)

§. X.

Saepenumero durante externo colli tumore per tres circiter, aut quatuor dies, valetudine admodum bona aegroti ceterum gaudent, etſi ſemper adhuc, praeſertim cum cura diaetetica minus apta, vel methodo medendi peruerſa vtuntur, in vitae diſcrimine verſentur. Quodſi autem modica diaphoreſis; ſiue ſpontanea ſit, ſeu factitia, tam per totum corpus, quam praecipue in regione faucium ac parotidum erumpit, aegrotus in priſtinum, quo antea fruebatur, ſanitatis ſtatum reſtituitur. E contra, ſudore

illo

q) Cuius propoſitionis confirmationi inſeruiat *Culleni* teſtimonium l. c. §. 332.

illo vere critico r) nimis mature remittente, cessante, et casu, aut de industria oppresso, (verbi gratia prauo vitae regimine, refrigeratione, praua medela aliisque caussis accessoriis innumeris), vel adeo plane deficiente, tumor quidem parotidum itidem euanescit, ac disparet, verum in sexu virili *ad testiculos*, et in sequiori *ad mammas* deponitur, atque partes illas mutatis mutandis eodem modo, quo antea fauces, lacessit, doloribusque inprimis plerumque grauioribus: rodentibus, punctoriis, imo pulsatoriis aegrotos conflictatur, de qua re sine dubio

r) vid. *Io. de Gorter* de perspiratione insensibili, Lugd. Bat. 1736. *I. E. Hebenstreit* palaeologia therapiae, ex edit. clar. *Gruner*, Hal. 1779. specim. XV. cl. *Ern. Ant. Nicolai* resp. *Holland* diss. de sudore, vt signo, Ien. 1760. pag. 13. 23. 31.

bio nemo, vulgarem illam, et exquisitissimam mammae muliebris, ac genitalium sensibilitatem, indeque dependentem irritabilitatem secum reputans, admirabitur. s)

§. XI.

Atque haec plerumque illa morbi periodus est, qua durante ars medica in auxilium vocatur. Sunt enim non pauci, qui leuem parotidum et glandularum submaxillarium tumorem, praesertim cum dolore careat, attentione sua haud dignum existiment, sed potius securi aëri nimis frigido, tempestatibus turbulentis, etc. corpus offerant, donec tandem symptoma-

s) vid. *de Haller* l. c. §. 816; item cl. *Hildebrandt Lehrbuch der Anatomie des Menschen, Vol. III. Braunschw. 1791. §. 2251 et 2284.*

ptomatibus morboſis, in mammis vel teſticulis ſeſe manifeſtantibus, petulantiam atque temeritatem luerint. — Caueat igitur medicus, ne, indagatione ſtatus morboſi praegreſſi temere neglecta, aut plane omiſſa, ex hernia humorali cauſſam veneream coniiciat. t)

§. XII.

t) Monitum illud, ne ſuperuacaneum, et inutile arbitrentur lectores, minime vereor, perſuaſiſſimum enim habeo, multos noſtri temporis medentes venenum venereum *nimis generatim atque vniuerſe* tamquam innumerorum malorum cauſſam conſiderare. — Hernia humoralis v. c., annon ſaepiſſime eſt originis mere catharralis? Nonne ſanatur multis in caſibus ſolis diaphoreticis? — Scopo meo praeſenti alienum foret, quodſi theſin illam fuſius pertractare, pluribusque argumentis ſuffulcire conarer; hoc vnum lector, velim, perpendat, totas adhuc ſupereſſe Germaniae prouincias, quae vel nomen morbi

§. XII.

Consensum autem illum memorabilem, mammas et verenda cum faucibus intercedentem, (§. X.), quis quaeso est, qui hunc non miraretur? — Maxime certe exoptandum esset, vt anatomicorum lucubrationes arcana illa naturae humanae, (ita enim sympathiam nomi-

morbi venerei ignorant. Exemplum nobis proponit magna pars *Westphaliae*; vid. (cel. *Consbruch*) *Medicinische Ephemeriden, nebst einer medicinischen Topographie der Graffschaft Ravensberg. Chemnitz 1793. pag. 59.* cl. *Weddingen Westphälisches Magazin, etc. vol. II. fasc. 5.* — Errant praeterea, qui *diagnosin* morbi venerei semper ita luculentam, et in aprico positam censeant, vt ab omnibus affectionibus, e fonte longe alieno deducendis, distingui possit. Conf. *Georg Wedekind's Fragmente über die Erkenntniss venerischer Krankheiten, herausgegeben von Wilh. Pr. Domeier, Hannover 1790. pag. 1-40.*

nominarem, quae nonnumquam; — ficut phaenomena et phyfiologica et pathologica abunde docent, — inter partes remotiffimas ac primo intuitu omnino diuerfiffimas, locum obtinet, easdemque arctiffimo quafi vinculo acconnubio coniungit); ad hunc vsque diem maximam partem obfcura caligine circumfufa u) tandem aliquando deuelarent; atque

u) *Maximam* inquam *partem*; multum enim lucis doctrina phyfiologico-pathologica de confenfu inprimis, (vt de meritis *G. Rud. Boehmeri*, *Iac. Anemaeti*, aliorumque circa hoc thema taceam), inueftigationibus iamiam debet *Dan. Langhans* in differt. de confenfu partium corporis humani, Gott. 1749; et cl. *Io. Henr. Rahn* in comment. de miro inter caput, et vifcera abdominis commercio, ibid. 1771. — Ceterum iam *Hippocratem* notionem quamdam, etfi vagam, de confenfu habuiffe, inter alios demonftrat cl. *Kurt Sprengel* in: *Verfuch einer pragmatifchen Gefchichte der*

atque adeo luce clara, et candida illucescerent.

§. XIII.

Iam vero tandem descriptionem morbi nostri, ne nimis lectori longa fiat, ad finem perducamus. Tam vnica et singularis eius est natura, atque indoles, vt, recta medendi methodo adhibita, i. e. accurata habita ratione, totius corporis, ac praecipue mammarum, aut scroti diaphoresin sustentandi leniterque promouendi, tumor, mammas aut scrotum occupans, cum omnibus suis symptomatibus, qualia sunt: rubedo, dolor, etc. intra pauculos dies decrescat, penitusque demum sine vllo sanitatis detrimento dispareat.

der Arzneykunde, *vol. I. Halle 1792. pag. 242.* Conf. *Blumenbachii* institutiones physiologicae, §. 54.

pareat. E contrario omnia ea, quae neceſſariam vaſorum cutaneorum perſpirationem diminuunt, vel vllo modo turbant, materiamque morboſam ea ipſa de cauſſa in corpore diutius retinent, — omnia haec denique morbum in *ſtadium tertium*, idque longe periculoſiſſimum, irreparabiliter ruunt. Repentina nempe, ac improuiſa accidit metaſtaſis ſic dicta ad neruos, varia ſeſe manifeſtant ſymptomata capitis affecti, tragoediamque finiunt delirium, conuulſio, mors.

§. XIV.

Prognoſis anginae parotidaeae.

Ex hacce praemiſſa anginae parotidaeae preſſa delineatione patet, quidnam de *morbi prognoſi* in genere ſit conſtituendum. Nulli ſane morbo magis conuenit vtile illud praeceptum: *Prin-*

cipiis obsta, quam anginae parotidaeae. Inter initia enim iuuare plerumque facile est; at cum affectio illa iam inualuit, difficilius aegrotanti succurritur. Vix fere vllum datur malum, quod ab omni periculo tam vacuum esset, quam angina parotidaea in prima, et fortassis etiam in secunda sua periodo. Inde a primo morbi ingressu, vsque ad illum terminum, qui decursum suum absoluit, totius methodi medendi cardo in diaphoresi rite excitanda, paullulumque, quum res locusque poscit, corroboranda, vnice vertitur. Quam qui negligit, in longitudinem morbum protrahit, ideoque quouis die vitae discrimen, ac mortis periculum adauget. Prompto quidem, et efficaci auxilio aegroti, iam in secundo morbi stadio versantes, sanitatem recuperare possunt; tertio autem stadio oppressis

ſpes perquam in anguſto eſt, immo certa deſperatio. — Quoad cetera, quae prognoſin ſpectant, momenta, cum angina parotidaea, aliique faucium morbi minime inter ſe differant, non dubito, ad *Kleinii* interpretem clinicum, (Francof. et Lipſ. 1759. p. 9-15.) lectorem hac de re relegare.

§. XV.

Generaliora quaedam circa anginam parotidaeam.

Raro quidem angina parotidaea ſporadice, vt dicunt, obſeruatur; saepius, monentibus *Cullenio* et cl. *Selle*, dramata ſua ac ſchemata *epidemice* ludit. Num vero *contagioſae* ſit naturae, — quo *Culleni* ſententia valet, — de his diſſenſus, in arte ſalutari agitati, nondum compoſiti ſunt, et diremti.

E repetitis medici illius Lauſannenſis, ſaepius iam nominati, obſeruatio-

 nibus,

nibus, non tam adultos, quam potius *infantes* ac *iuniores* morbo noſtro obnoxios eſſe, ratiocinari nobis licet; phaenomenon, cuius cauſſas procul dubio facile explicabit, theorema illud tritiſſimum, de cuius veritate inter recentioris aeui phyſiologos omnino omnes conueniunt, rite perpendens: ſanguinis congeſtiones, ſiue, vt generatim loquar, impetum humorum verſus hanc illamue corporis partem ratione diuerſae aetatis ita differre, vt in aetate virili ac ſenili inprimis ad abdominis viſcera atque cerebrum, in iunioribus vero magis *ad pectus* dirigatur. v)

§. XVI.

v) Ecce iterum exemplum, vulgaris theſeos confirmationi non inepte inſeruiens: pathologiam phyſiologia, et vice verſa phyſiologiam pathologia informari, atque illuſtrari. — Obiter hic admonere mihi liceat, b. *Hallerum* neutiquam, vt vulgo plerumque creditur, fuiſſe primum, qui doctri-

§. XVI.

De medela, anginae parotidaeae congrua, animaduerſiones generales.

Vt a via illa, qua ad celerrimam atque tutiſſimam anginae parotidaeae ſanatio-

doctrinam illam, in praxi medica non leuis momenti, de impetu ſcilicet humorum, pro aetatis varietate in tam diuerſas corporis humani partes directo, detexerit, atque cum orbe litterario communicarit; vt enim veterum notitiam hac de re ſilentio transeam, iam initio huius ſeculi *Stahlius*, (vir acerrimi ingenii, et de tota fere medicina meritiſſimus), eiusque aſſeclae congeſtionum differentiam quoad locum, aetatem, euentum, e. ſ. p. diſertis atque expreſſis verbis expoſuerunt. Vid. *Ioann. Iunckeri* conſpect. pathologiae, ad dogmata Stahliana praecipue adornatae, et ſemiologiae, etc. Hal. 1736. pag. 121. vbi verba auctoris ſic ſonant: „In mediae aetatis ſubiectis magis infeſtatur *pectus*, quod teſtari ſolent tuſſes, branchus, raucedo, *angina*, aſthmata, palpitationes cordis, pleuritis ſpuria, vera, peripneumonia, vomica, phthiſis pulmonum, et empyema."

nationem perſequamur, eo minus aberremus, et deflectamus, curae morbi ſpeciali praemittere, quae ad eius indolem *non* quadrant, ſed plerumque nocent, e re noſtra non abeſſe putamus. — Pertinent huc inprimis *venaeſectio* atque *purgatio.*

Iam primum quidem *ſanguinis maſſae diminutio*, ſiue venaeſectione, ſiue ſcarificatione, et hirudinibus efficiatur, in genere ad morbum profligandum non modo non iuuat, ſed quoque, ex optimorum obſeruatorum teſtimonio, tantum detrimenti aegroto iniungit, vt triſtem mortis aduentum maximopere acce-

ma.“ — Conf. *Moſcati* — medici ceteroquin paradoxi — nuove oſſervazione ed eſperienze ſul ſangue, in ſcelta di Opuſc. intereſſanti, Mediol. vol. XVI. pag. 102 ſeq. cl. *Spallanzani* de fenomeni della circolazione, etc. Mutin. 1773. paſſim, et inprimis verſus finem. *Guil. Cappel* Diſſ. de ſanguin. congeſtion. Helmſt. 1796.

acceleret. Attamen cum hodierna naturae humanae, atque legum, secundum quas mutationes nunc salutares, nunc morbosas in corpore procreat, cognitio, non raro perquam obscura, ita secum ferat, vt nulla reperiatur artis nostrae norma, ac regula, quae non ad exceptiones quasdam restringi deberet: iam a priori, vt aiunt, inprimis vero a posteriori, siue experientia edocti, concludere nobis licet, in anginae quoque parotidaeae decursu casus quosdam singulares nonnumquam existere, qui sanguinis euacuationem vtique flagitent. Fac enim, instructum esse aegrotum tuum viribus corporis validissimis, atque firmissimis; gauisum fuisse antea integerrima valetudine, raptimque morbum invasisse; adsuetum fuisse aegrotum fluxu aliquo sanguineo naturali, aut praeternaturali, iam nunc

omisso,

omiſſo, vel ſuppreſſo; modum non tenuiſſe in fruendis alimentis, aut medicaminibus ſpirituoſis, ac calefacientibus; fauere conſtitutionem epidemicam morbis inflammatoriae indolis; topicam denique parotidum inflammationem tam eſſe viuidam, et vehementem, vt inde deglutitionem difficilem, pulſus tenſionem, duritiem ac plenitudinem, oppreſſionem circa pectus, et praecordiorum regionem, congeſtionem ſanguinis verſus partes nobiliores, quales ſunt pulmones, caput, e. ſ. p., atque innumera alia phaenomena, a plethora, ſanguinisque orgasmo deriuanda, animaduertas; — nonne quaeſo rebus ſic ſe habentibus methodo quam maxime antiphlogiſtica ad morbi vehementiam moderandam opus eſſe iudicares? — Reuera etiam, annuente praecipue Anglorum quorumdam ex-

perien-

perientia, feries illa fymptomatum, modo enarrata, interdum quidem apud aegrotantem concurrere poteft: multo faepius autem defideratur; indicationes faltem, quae euacuationes fanguinis poftulare videntur, tam incertae, et inconftantes plerumque effe folent, vt aut nulla fanguinis diminutione egeat, aut ad fummum topica humorum depletio fufficiat. w)

Pur-

w) Eo, procul dubio, fuper priftinam hodierna medicina multum eminet, quod noftra aetas multo maiori circumfpectione ac longe parciori manu fanguinis miffiones inftituat, neque principem illum, et primarium, ac vere vitalem laticem, quem omnium reliquorum humorum quafi promum condum non inepte nominaremus, tam inconfulte diffipet, et largiffime profundat, quam pro dolor apud veteres, praecipue medicos francogallos, in more pofitum fuiffe hiftoria medicinae docet. Vid. *Quesnay* traité de l'ufage de la faignée, Parif. 1750. pag. 526 et 532. *Glaf-*

fii

Purgationes quod ſpectat, in vniuerſum de iis eadem valet ſententia, quam modo

ſii commentar. XII. de febribus ad Hippocratis diſciplinam; edidit Ill. *Baldinger*, Ien. 1771. commentar. VI. p. 52. ſeq. *P. G. Schroeder* diſſ. de venaeſectionis in febribus inſtituendae praecipuis cautionibus, Gott. 1771. cl. *Hirſchel vermiſchte Beobachtungen und Gedanken zur ausübendenArzneywiſſenſchaft, Mietau 1772. p. 57.* Ill. *Baldinger* Progr. de abuſu ſanguinis miſſionis in variis morbis, Gott. 1778. init. — Primo quidem intuitu ſuſpicare poſſemus, venaeſectiones, etiam largas, non magni ad efficiendas multas, grauesque corporis mutationes eſſe momenti, cum ſecundum obſeruatores non paucos ſanguinis natura eiusmodi ſit, vt non ſolum perpetuo renouetur, verum etiam poſt copioſiſſimam euacuationem facillime ac citiſſime reproducatur. Tales de eo obſeruationes inter alios extant apud *Bianchi* in hiſtoria hepatis, tom. I. pag. 694; apud *Ph. de Carolis* in epiſtola de variolis ad *Swietenium;* nec non apud *Tiſſot* in epiſtolis medico-practicis, Lauſann. 1770. p. 101. Aſt denuo exemplum, quo theoria cum praxi minime pari paſſu ingreditur.

modo de ſanguinis miſſionibus tulimus: nimirum genio morbi, tendentiam quaſi ad cutem tam luculenter manifeſtanti, minime reſpondent. Ea enim lex eſt immutabilis oeconomiae naturae animalis, quam antiquiſſima iam tempora tam eximie perſpectam et cognitam habuerunt, vt inter excretiones corporis, quibus rite conficiendis diuerſa colatoria inſeruiunt, ratio omnino inuerſa locum habeat, id eſt v. c., vt aluus eo rarius exoneretur, quo frequentior ac copioſior ſit diaphoreſis; et vice verſa, vt haec plane, aut maximam quoad partem ceſſet, ſimulac illa magis ſtimuletur. Verum et hic peculiares morbi complicationes, nominatim combinatio gaſtrica, primarum viarum euacuationem aliquando neceſſariam reddunt, et quidem eo magis, cum irritamenta abdominalia per conſen-

ſum

ſum morbum primarium alere, immo augere, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe videatur. — Vix ceterum vllo indigebit admonitu, ad depurationem canalis alimentaris efficiendam in anginae parotidaeae decurſu emetica, vtpote quae duabus indicationibus ſimul ſatisfaciant, purgantibus longe praeſtantiora eſſe. Interim cum vrina iumentoſa, genuum grauitas, dolor lumborum, flatus, et faeces male olentes, tumor abdominis, borborygmi, vno verbo ſigna ſordium, *deorſum* turgeſcentium, remediorum purgantium neceſſitatem interdum teſtificentur, inter illorum agmen non niſi ea eligas, quae lenem alui ſolutionem promouent, neque tamen nimis debilitant. Eiusmodi ſunt lac ebutyratum, ſerum lactis ſpontaneum, aut artificiale, inprimis tamarindinatum, vel

vel tartariſatum, (ita paratum, vt cremoris tartari drachma dimidia ad lactis libram vnam adiiciatur), e. ſ. p. Abſtineas e contrario a ſalibus illis mediis, quae vires mirum in modum exhauriunt, et ſedes tantum aquoſas producunt.

§. XVII.

Methodus medendi anginae parotidaeae ſpecialis.

Vetus illud adagium, atque ſimul, niſi rectos limites transeas, veriſſimum: „Qui bene diſtinguit, *bene docet,*“ cum ſine veritatis noxa in ſimile quoddam; „Qui bene diſtinguit, *bene ſanat,*“ transmutari poſſe cenſeamus: in explicanda anginae parotidaeae medela ſpeciali optimum videtur, vt ex variis, quae apud varios aegrotantes occurrunt, conditionibus, ſeu caſibus, ſigillatim, ſimulque practice, h. e. eo modo illam expo-

exponamus, quo omnia hic exhibita ad aegrotorum ſtatum facillime applicari queunt. Qua in re pertractanda quum plerique ſcriptores nimis fere breuiter, neque ſatis diſtincte egerint, ſperare nobis licet, fore, vt lectoris applauſu non omnino careamus.

§. XVIII.

I. *Parotidum tumor iamiam adeſt, ac nondum diſparuit.* Diſtinguamus hic remedia diaphoretica *topica* et *vniuerſalia.*

a) Ad topicam parotidum et faucium diaphoreſin promouendam, vt aër nimis frigidus, omnino aër externus, a partibus affectis diligenter abarceatur, ante omnia neceſſe erit curare. Aegrotans igitur non tantum in conclaui perpetuo commorari debet, verum etiam ad finem propoſitum eo certius obtinendum panno laneo campho-

phorato parotides, partesque vicinas operiat.

b) Perſpiratio cutanéa vniuerſalis largo ac copioſo decocti cuiusdam mucilaginoſi, v. c. auenae, vel hordei excorticati potulento, aut infuſo florum Sambuci, Chamomillae, herbae Meliſſae, e. ſ. p. theaeformi adiuuetur. x) Quod

x) *Tiſſot*, qui veriſimiliter tantum non ſemper anginam parotidaeam *in primo ſtadio* vidit, l. c. breuibus hisce verbis totam morbi medelam deſcribit: „Comme ordinairement il n'y a pas de fievre, il ne faut point de remedes: il ſuffit de tenir les parties malades à l'abri du grand air, d'appliquer deſſus quelque cataplasme, de diminuer beaucoup la quantité de ſes alimens, de ſe priver de viande, et de vin, et de faire un uſage abondant de quelque liqueur chaude, qui délaye les humeurs, et rétabliſſe la tranſpiration. Je me guéris de ce mal l'année 1754, en ne buvant, pendant quatre jours, qu'une infuſion de méliſſé, à laquelle je joignais un quart de lait, et très-peu de pain." etc.

Quod autem ad medicamenta diaphoretica ſtricte ſic dicta attinet, eorum ſelectus diuerſis conditionibus et phaenomenis, apud aegrotum locum habentibus, vnice innititur.

α) Interdum aegrotos minime debiles vides; e contra toto durante morbo illibatis fruuntur viribus. Egregie tum conducunt praeparata antimonialia, ſpiritus Mindereri, roob Sambuci, etc. v. c.

Rec. Infuſ. flor. Sambuc. ℥vj.
Spirit. Minderer. ʒvj.
Tart. emet. gr. ij.
Roob Sambuci ℥ß.
M. S. Quauis hora cochleare integrum ſumendum.

Tartaro emetico non raro vini antimoniati Huxhami ℈i-ij ſubſtitui poſſunt.

Cauſſa diaphoreſeos impeditae cum ſaepiſſime in ſpasmo vaſorum cutaneorum quaerenda ſit: omnia illa remedia,

dia, quae ſpasmum diminuunt, aut plane tollunt, optima ſunt diaphoretica. Vtatur igitur aegrotus potulentis relaxantibus, antiſpasmodicis, v. c.

Rec. Flor. Maluae
Papau. rhoeados aa. mpul. j.
Coque cum lactis q. ſ. per quadr. hor.
Colaturae librae j adde
Syrup. Diacod. ℥ij.
M. S. pro potu ordinario.

Cui apte coniungi poterit puluis ſudorificus *Doweri*, e tartaro vitriolato, opio, et radice Ipecacuannae compoſitus, ſiue huius pulueris modificatio quaedam, quam ill. *Richter* originali longe anteponit, quaeque ſic ſonat:

Rec. Calomel. optimi
Opii puriſſ.
Camphorae aa. gr. j.
Rad. Ipecac. gr. ij.
Sacchari albi gr. xv.
M. F. puluis, qui aegroto veſperi vna cum infuſo florum Sambuci praebeatur, atque pro re nata repetatur.

D β) Ex-

β) Extant autem caſus non rari, in quibus vires vitales praeter modum debilitatae inueniuntur, ita vt morbus cum omnibus iisdem ſymptomatibus incedat, quae cum virium vitalium diminutione intime ſunt coniuncta. Qualia ſunt: y) laſſitudo ſpontanea ac continua, z) torpor, ſiue ſenſibilitas, et irritabilitas imminuta, atonia, ſtupor, anodynia, oſcitatio, et pandiculatio, a) aphonia, anxietas et inquietudo, pul-

ſus

a) Fuſius ſymptomata illa leguntur et explicantur apud cl. *Gruner*, in libro: *Phyſiologiſche und pathologiſche Zeichenlehre*, Ien. 1794. pag. 113 - 122.

z) vid. *Hippocratis* Aphoriſmi, lib. V. ſectio II. paſſim. *Io. Andr. Fiſcher*, reſp. *Müller* Diſſ. de laſſitudine ſpontanea, morborum praenuncia, Erford. 1728. *Withers Bemerkungen über die langwierige Mattigkeit, Altenburg 1779. pag. 63.*

a) *Aug. Fr. Walther* Diſſ. de oſcitatione, Lipſ. 1738. *Andr. El. Büchner*, reſp. *Finger* Diſſ. de eodem argumento, Hal. 1758.

ſus paruus, cutis maxime ſicca, animi deliquium, b) (ſiue ſit lipothymia, ſiue ſyncope, ſiue denique ipſa aſphyxia), e. ſ. p. Atque hic medici erit, vt naturae, oneri materiae morboſae iamiam ſuccumbenti, ſubſidiis efficaciſſimis occurrat; vires proſtratas ſenſim erigat; eoque ipſo criſes per cutis, et vrinae vias promoueat. — Quod quidem optime efficitur remediis diaphoreticis, excitantibus, ſtimulantibus, analepticis, v. c. Valeriana, ſerpentaria virginiana, Camphora, Aromaticorum cohorte, Arnica, ſalibus volatilibus alcalinis, oleis empyreumaticis, etc. Non leuis igitur vtilitas expectanda eſt ab hisce compoſitionibus, multorum experientia approbatis:

Rec.

b) *Laur. Heiſter*, reſp. *Gebhardi* Diſſ. de animi defectione, Helmſt. 1728.

Rec. Pulu. rad. ferpent. virg. ℥ß.
Infunde aq. feruent. ℥viij.
Ebull. paulifper. Colaturae adde
Spirit. Minderer. ℥ß.
Syrup. cort. Aurantior. ℥j.
M. S. omni bihorio cochlear. ij.

Rec. Pulu. rad. ferpent. virg.
Valerian. aa. ʒiij.
Infunde aq. feruent. ℥xij.
Ebull. paulisper. Colaturae adde
Camphor. cum Gummi arab. q. f. tritae gr. viij.
Liquor. c. c. fuccin. ʒj.
M. S. intra nychthemerum confumend.

Rec. Pulu. cort. peruu. ℥j.
Coq. cum aq. font. ℥xvj. ad remanent. ℥viij.
Sub finem coct. adde
Pulu. rad. ferpent. virg. ʒiij.
Colaturae cum expreffione admifce
Spirit. Minderer. ʒvj.
Syrup. Valerian. ℥j.
M. S. trihorio cochlear. ij.

§. XIX.

II. *Tumor parotidum, et faucium iam nunc euanuit.* Duplex erit differentia, quae durante

durante hac ſecunda morbi periodo in debellanda angina animaduertitur:

a) Hernia humoralis, non multo poſt parotidum tumorem ſequens, nondum eſt erupta ac formata. Tum ſinapismo, vel epiſpaſtico, aut veſicatorio, glandularum antea tumeſcentium regioni applicato, arti nonnumquam bene proſpereque ſuccedit, vt morbus in ſtadium priſtinum reducatur, i. e. vt parotidum tumor reuocetur.

b) Teſticulorum aut mammarum tumor prorſus iam euolutus apparet. Rebus ſic ſe habentibus omnia eadem, quae antea in regione faucium facienda veniebant, iam nunc in ſcroto, aut mamma muliebri praeſtanda erunt. Itaque partes affectas panno laneo camphorato indeſinenter circumdes, et tam diu totius corporis diaphoreſin liberam vberioremque reddas, donec

tumo-

tumores ſine ſanitatis detrimento penitus euanuerint.

§. XX.

III. *Teſticulorum aut mammarum tumor itidem iam retropulſus eſt.* Plerumque tum a ſymptomatibus illis capitis affecti, a materia morboſa metaſtatica deducendis, aegrotans iam correptus eſt, atque adeo ſpasmi tonici et clonici, deliria, furores, nec non ſimilia ſeſe manifeſtant phaenomena. Aſt nonnumquam materia morboſa ad cerebrum nondum depoſita eſt, ita vt aegrotus vel quaſi in ſtatu medio intra ſanitatem et morbum verſetur, atque ſpes reſtituendae ſalutis non omnino vana reperiatur. Vtut vero ſit, in tertia hacce morbi periodo nil amplius iam reſtat, niſi vt teſtes, aut mammas emplaſtro veſicatorio perpetuo, quod ſe-

cundum

cundum egregias obſeruationes virorum cl. *Hamiltoni* et *Gooch* (ll. cc.), ad tumorem reuocandum praeſentiſſimum non raro affert auxilium, illico tegas. Sic enim tumor renouatur, ac omnia illa triſtiſſima phaenomena eo ipſo deſinunt. E contra velociſſimus mors ineuitabilis.

§. XXI.

Concluſio.

Haec ergo quoad pathologico-practicam anginae parotidaeae conſiderationem ſufficiant. Te vero, Lector beneuole, vt hunc meum qualemcunque laborem aequi bonique conſulas, enixe rogito, et quae minus digna oculis videntur, aut quae adhuc deficere intelliges, fauoris tui gratia ſupple, illud *Celſi*, medicorum romanorum facile principis, effatum cogitans: „Non

elo-

eloquentia, neque orationis ornatu, ſed ſolis medicamentis, ſiue diaetetica ſint, ſiue pharmaceutica, ſeu denique chirurgica, morbos ſanari.“